



## **Petri Cvnæi de Repvblica Hebræorum Libri III**

**Cunaeus, Petrus**

**Lvgd. Batavor., 1632**

Cap. II. Pontificis sacra vestis modo à Romanis, modo à Iudæis asservata.  
De Pontificis galero. De sacerdotum pileis. Lapidés Vrim & Tummim, in  
quibus vis oraculi fuit. Quando ii amißi sint. Cur alii ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65527)

*Pontificis sacra vestis modo à Romanis, modo à Iudæis asservata. De Pontificis galero. De sacerdotum pileis. Lapidés Urim & Tummim, in quibus vis oraculi fuit. Quando ii amissi sint. Cur alii facti, & adhibiti postea sint, cum eorum nulla vis amplius esset. Quis fuerit modus consulendi oraculū Urim & Tummim. Quibus de rebus responderit Pontifex.*

**Q**uam pulchro & admirando opere fuerint indumenta, quibus adornatus pontifex extra adytum erat, ex illo manifestum est, quod Flavius refert *τὴν ἱερὴν ἐδῆται* sacram pontificis vestem magna cura servatam in turri fortissima fuisse, quam in parte templi Septentrionali olim ab Hasmonæis conditam, Herodes tandem Antoniam de Marci Antonii nomine appellaverat. Utique pergloriosum fuit illam vestem custodire. Quare eum honorem identidem Romani sibi vendicaverunt: ac rursus Iudæis eum, sed beneficii loco concessere. Diximus ex octo tegminibus, quæ aurea Talmudici vocant, quatuor fuisse, quæ communia Pontifici cum reliquis sacerdotibus erant. Inter illa galerus, seu infu-  
la fuit.

la fuit. Pontificibus enim, sacerdotibusque nudo capite sacra curare fas non erat. quemadmodum nec flaminibus Romanorum id licuit. Pontificis galerum non penitus similem fuisse sacerdotum pileis, Iudæi tradunt. Maimonides fascias quasdam ait Pontificis capiti ita circumdatas fuisse, quemadmodum membrum contritum aut fractum obvolvitur; sacerdotum autem pileos velut galeas fuisse. unde & מנעורא eos dici, quod instar collium exsurgerent. Ab hoc dissentit Rabbi Abraham Ben David, cujus אנשור *animadversiones* extant in Maimoniden. Ait enim ille, pileos quidem sacerdotales, quasi galeas fuisse, at pontificum infulas longè altiores fuisse, fasciis in orbem sic circumactis, ut sunt hodie Arabum tiaræ. Hoc idem ait accuratissimus author Rabbi Ioseph, cujus commentationes, quæ כסף משנה *corona Misna* inseribuntur, inæstimabiles sunt. Lapidēs Urim & Tumim, qui vestimento pontificis indebantur, absconditos à Iosia in templo priore fuisse, neque postea repertos in templo secundo esse, dictum à nobis supra est. Facti tamen alii lapides, & inditi in amiculum Choschen sunt, non quodjam eorum ope amplius oracula pontifex

manis,  
rificis  
apides  
is ora-  
Cur  
cum  
Quis  
Urim  
espon-

Ope  
us ad-  
erat,  
lavius  
ponti-  
m in  
part  
ismo.  
n An-  
ne ap-  
a fuit  
eum  
i ven-  
n, sed  
us ex  
nudi-  
com-  
erdo-  
infu-  
a fuit.

tifex ederet, sed ut consummatus earum rerum numerus esset, quas maximus Moses ad pontificem rite ornandum præscripserat. Nam si quid vel minimum forte deerat, utique pontifex מְחֻסֵּר בְּגָדָיו *defectus vestibus* dicebatur, & sacris operari non magis poterat, quam si de prophana plebe unus esset, quem talia conantem lex divina capitis damnat<sup>1</sup>. Sed quid illud est, cur nec consuleretur in templo secundo pontifex, nec responsa redderet? Disputarunt de ea re Iudæorum cordatissimi, & visum illis est, id adeo ex hac causa esse, quod spiritus sanctus numinisque præsentior vis illinc accessisset. mentem autem humanam fati & futuræ sortis nesciam esse, nisi instinctus divinus afflatusque accesserit. Quo nihil existimari rectius potest. Refert hæc omnia Maimonides in Halacha Cele Hammikdasch, capite decimo: ubi morem etiam edisserit, quo oraculum illud consulebatur antea. Stabat enim pontifex, & vultum componebat arcam versus. erat autem à tergo, qui responsum petebat. is, cum  
scisci-

<sup>1</sup> Rabbi Maimon. in Hal. Beth Habbechira, cap. 4. & in Hal. Cele Hammikdasch, cap. 19.

seiscitatus de successu rei esset, quam apud animum suum proposuerat, ibi pontifex statim, spiritu cœlesti concitus, amiculum Coschen inspexit, atque ex literis mirâ vi illic protuberantibus, quid futurum esset, didicit, responditque. Ea consulendi ratio non privatis, aut de plebe hominibus, sed regibus duntaxat, summisque iudicibus, aut iis, qui publicè missi à populo essent, usurpata fuit. Quoties enim res magna agebatur, itum illuc est. Privatorum negotia votis precibusque relicta sunt, ne oraculi sanctitas evilesceret.

## CAPVT III.

*Vestimenti laceratio quatenus Pontifici permessa. Item quatenus sacerdotibus. De Caipha. Lex conjugii alia pontifici, alia sacerdotibus posita. Matrimonium virginis, vidua, vitiate, & per divortium dimissa. Polygamia. Habitatio Pontificis. De Augusto Cesare.*

Nunc referamus alia quædam summi Pontificis jura. Inter quæ illud est, quod ei vestem lacerare in animi dolore fas haud fuit. Quod præceptum tamen Talmudici ad lacerationis modum restringunt, ut Pontifici disrumpere vestem quidem, sed infra